



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, Opera Omnia Ascetica**

Aucta Duobus Opusculis De Effectibus, Fructu, Et Applicatione Sanctissimi  
Missæ Sacrificii, Et De Sublimitate Perfectionis Religiosæ. Catalogum  
Tractatum Asceticorum Omnium Vicina Post Dedicationem Pagina  
Indicabit

V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, Fasciculus Exercitiorum Et  
Considerationum, De Præcipuis Veritatibus Christianæ Fidei Et Sapientiæ -  
Ad efformationem Christianæ vitæ, consecutionem salutis æternæ  
collectus: & usui accommodatus

**Druzbicki, Kaspar**

**Ingolstadii, 1732**

**VD18 90066332**

Exerc. 7. Refugia, & solata Moribundi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45396**

sincerâ dilectione inimicorum, & malefactorum, & ingratorum; & invidentium, & detrahentium; abstinentiâ omnimodâ à censuratione alienorum, factorum, talentorum: Supplementis ac supererogatoriis actionibus, passionibus, laboribus, industriis: Unione omnium rerum, totiusque Tui, ad JESU Christi sanguinem, & mortem: ad pretiosissimæ Dei Matris, ad Electorum merita, & intercessionem, atque Patrocinia: Tolerantione Crucis. post, & propter Christum: denique statûs tui sanctâ, plenâ, perfectâ adimplentione: atque in his omnibus consummatione per gratiam Dei finali Perseverantiâ.

## P R A X I S.

**D**EUS, sub cujus nutibus vitæ nostræ præcipua momenta decurrunt: suscipe preces ad te humiliter clamantium: ut hanc quidem mortalem vitam omnem, secundum sanctissimæ voluntatis tuæ placitum, in abundantia bonorum operum, in vante gratiâ tuâ, decurramus: ejus verò decursum sancto, & pleno, ac tibi placito fine, per filii tui, Matris ejus, Electorumque merita, & per Misericordiam tuam concludamus.

## EXERCITIUM VII.

*Refugio, & solatia Moribundi.*

**I.** **C**onstitue te in statu moribundi: & omnibus tam hominibus, quam rebus tandem deserendi: nihil enim te horum in modum comirabitur, sed neque Gloria tua descendet tecum. Opera tantum tua sequentur te, carnis

quidem nudissimum: atque adeò etiam temet-  
ipso spoliatum.

2. Quamobrem utere prudentiæ consilio:  
& pro diebus usque adeo malis circumspice, &  
congrega tibi refugii locum, & modum: &  
provide; ne nudus ambules: sed habeas custo-  
dita vestimenta tua: juxta monitum Spiritûs  
Sancti.

3. Age rem serio: Mors enim valde seria est.  
Mori jocando quidem & ludendo contingit, sed  
nequaquam joco, aut ludo id fit: quisquis mo-  
ratur, seriissimè moritur: quare ex negotiis ma-  
ximè seriis unum, ac fortè solum est, mori.

4. Corpori mortuo deponendo, provident  
passim homines, ipsi etiam mortui, ponunt in  
hoc solitudinem quandoque ambitiosam: me-  
lius facerent, si Animabus suis, quærent, aut  
pararent, caperentque, refugia: ne fugientes,  
aut ne potiùs fugatæ à morte, cadant in obscu-  
rum.

Refugia Animæ Christianæ, in quibus secu-  
rissimè, & habitare, & latitare, & requiescere, si  
modò dignam se facere velit, & sciat, haud du-  
biè potest: sunt hæc;

Primum latibulum, refugiumque, Animæ  
à Corpore parantis discessum, est ipsa Sacrosan-  
cta Trinitas Unus Deus. Ad ejus imaginem fa-  
ctus est Homo: haud ergo dubiè ibi locum ha-  
bet: neque amat Deus alibi suam esse Imaginem,  
quàm apud se: cum ipse dixerit; *Reddite quæ  
sunt Dei Deo.*

Alterum Refugium, reclinatorium, salati-  
umque morientis Hominis est, idem Deus: qua-  
tenus est ultimus finis Hominis, summumque,

& ultimum bonum ejus : cujus quoque Amicus  
ex abyſſis Nihili ſui, homo productus eſt.

Tertium Refugium Moribundi, eſt Verbum  
Incarnatum, Deus Homo : ad quem uſum  
*Matt. 11. 28.* ipſemet invitatur; *venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis: & invenietis requiem Animabus veſtris.*

Quartum Refugium Moribundi, eſt idem  
Dominus noſter Jeſus Chriſtus: ejuſque vulnera  
nervientia, & univerſi labores, dolores, Crucis  
quoque, & mors, ac ſepultura ejuſ. Ibi ille re-  
*Cant. 2. 14.* cipit, recondit, fovet, tuetur, ſolatur, latrat  
cat omnem Animam confugientem. *Columna  
mea in foraminibus Petra, in cavernis maceria.*

Quintum Refugium Morientis eſt, Præſen-  
tia, ſignaculum, & Gratia Spiritûs Sancti: ab eo  
enim & inhabitamur, & eundem inhabitamus  
ab eo in Sacramentis, potiſſimum in Baptiſmo  
conſignamur, quia & in ipſo ſepelimur.

Sextum Refugium morientis, eſt Dei Vo-  
luntas, Providentia, atque Nutrix omnium Gra-  
tia: quæ totius quidem Vitæ noſtræ, at maximè  
in extremo decurſu ſuam circa nos curam exercit,  
& ſalutis noſtræ efficacem diligentiam, per ſe  
& per Angelos, alioſque adminiſtros gerit: &  
*Pſ. 29. 6.* ideo ſi quando, tunc maximè, *vita in voluntate  
ejuſ: & tunc etiam eſt campus omnimoda in  
Dei Voluntatem, providentiam, gratiamque re-  
ſignationis: atque toto corde, totâ Animâ, totis  
viribus ei dicendi, & repetitò repetendi; Ejuſ  
Voluntas tua.*

Septimum Refugium Moribundi, eſt Preſen-  
tiſſima, Potentiſſimaque Dei noſtri Mater, Pa-  
trona morientum, Domina item, Mater, Heres  
Here-

Hereditas, & Sponsa amatorum Filii sui, & suorum. Sine dubio paratissimum, & securissimum est receptaculum periclitantium, & portus securus ex procelloso vitæ hujus mari enavigantium.

Octavum Refugium, Ecclesia Triumphans universa: omniumque jam beatorum Societas, atque Civitas: in quam conscripti sumus: & iam non hospites, & advenæ, sed domestici sumus: illuc ergo tam meritò, quàm secure, aspiramus, accedimusque.

Nonum Refugium Morientis, est Ecclesia Militans tota Dei nostri Christi, dilecta & Sancta Sponsa: cujus cum membra simus omnes; Communionem ejus habemus: & quæ nos Christo Sponso immaculate regeneratos offert; hæc etiam hinc abeuntes libens sanctificatos representat.

Decimum Refugium Morientis est, sua cuiusque, in quâ vixit Communitas: v. g. Religiosi, sua Religio: quam cum inimus, dicere & protestari, & profiteri, vovereque solemus; hæc requies mea: hanc elegi, & hîc habitabo in sæcula: quod & votis firmamus: ut securè dicere possimus, tum semper, tum in articulo mortis, *Domini ego sum.*

Undecimum Refugium morientium, est Agonizans JESUS, & instans mortis ejus, Matris ejus, & Electorum ejus.

Duodecimum Refugium moribundi est, nihilum suum, & omnimoda tam naturæ, quàm Spiritûs egestas, mendicitasque; ex quâ Homo, nihil est, nihil potest, nihilo dignus, (nisi contemptu, odio, supplicio, & perditione, ac oblivione)

vione) penitus est: sed quidquid est sola solatia  
 Dei gratiâ est, omniaque meretur.

Beatus moriens, qui suo nihilo, Christi merito,  
 Dei miseratione circumspetus moritur.

*Pf. 126. 5.* enim securè loquitur omnibus inimicis suis in porta

5. Hæc Refugia, occupa: & occupare, & habitareque festina Anima mea: hæc incole se-  
 per: ex his egredere nunquam. Egredere potius de Mundo: per contemptum ejus, & si-  
 tes, etiam per votum Paupertatis Christi, amplectendo nuditatem ejus. Egredere de carne  
 & sanguine, odio mortificationeque illius & potes, etiam voto perpetuæ castitatis prope-  
 Christum, sectando puritatem ejus. Egredere à temetipsâ: abnegando plenè te ipsam, & vo-  
 luntatis tuæ libertatem, propter Christum: faci-  
 mando obedientiæ voto, exemplum ejus: qui per-  
 perderet obedientiam, perdidit vitam in morte  
 morte autem Criticis.

### P R A X I S.

**D**EUS, sub cujus Nutibus, vitæ nostræ præsentia  
 momenta decurrunt: suscipe preces humiliter  
 ad te clamantium: ut hanc quidem mortalem vitam  
 omnem, secundum Sanctissimæ Voluntatis tuæ bene-  
 placitum, in abundantia bonorum operum, auxiliante  
 te Gratiâ tuâ semper decurramus: ejus vero decur-  
 sum, sancto, pleno, ac tibi placito fine, per Filii tui,  
 & Matris ejus, & Electorum omnium merita, & per  
 Misericordiam tuam, concludamus.

EXER.